

DISSERTATIO MEDICA

INAUGURALIS

DE

ERYTHEMATE MERCURIALI.

EDINBURGI

EXCUBIT JACOBUS COLLIER.

1808.

DISSERTATIO MEDICA

INHAERENTIS

ERYTHEMATE MERCURIALI;

D. GEORGII BAIRD, M.D.

DISSERTATIO MEDICA

ERYTHEMATE MERCURIALI.

EDITIONE

FRANCISCI JACOBI HALLANTINI

1803

DISSERTATIO MEDICA  
INAUGURALIS

DE

ERYTHEMATE MERCURIALI;

QUAM

ANNUENTE SUMMO NUMINE,

EX AUCTORITATE REVERENDI ADMODUM VIRI,

D. GEORGII BAIRD, SS. T. P.

ACADEMIÆ EDINBURGENÆ PRÆFECTI;

NECNON

AMPLISSIMI SENATUS ACADEMICI CONSENSU, ET

NOBILISSIMÆ FACULTATIS MEDICÆ DECRETO;

*Pro Gradu Doctoris,*

SUMMISQUE IN MEDICINA HONORIBUS AC PRIVILEGIIS,

RITE ET LEGITIME CONSEQUENDIS;


ERUDITORUM EXAMINI SUBJICIT

JOANNES M'MULLIN,

HIBERNUS,

SOCIET. REG. MED. EDIN. SOC. EXTRAORD.

*VIII. Calendarum Julii, horâ locoque solitis.*



EDINBURGI:

EXCUDEBAT JACOBUS BALLANTYNE.

1805.



ANDREÆ DUNCAN, JUN. M. D.

COLLEG. REG. MEDICOR. EDIN. SOCIO, &c.

OB CONSILIA EJUS EXIMIA DE REBUS MEDICIS,  
SIBI MULTOTIES TRADITA,

HANC DISSERTATIONEM,

ANIMI HAUD INGRATI MONUMENTUM,

D. D. CQUE

JOANNES M'MULLIN.



DE ERYTHEMATE MERCURIALI.

saepe frustra, et sane cum vix discrimine ad  
cum summovendum laboraverunt. Descrip-  
tionem, igitur, morbi, cujus natura parum hacten-

DISSERTATIO MEDICA

tractare adjutus, et propria experientia edoctus,  
magis accuratam tractare certatus sum. Quo ma-

INAUGURALIS

gis perspicuus sit, eam in his studiis duntaxat neces-  
sarium duxi. In primo studio erupit et dequum.

DE

ERYTHEMATE MERCURIALI.

veniant, cum morbus sub forma raiioli incedit.  
In secundo studio raiioli formamque quae hu-

morbi est, raiioli formamque quae hu-  
jusmodi morbi est, raiioli formamque quae hu-

---

AUCTORE JOANNE M'MULLIN.

---

CUM ex usu medicamenti cujusvis passim usur-  
pati effectus insoliti profluunt, medico saepe sum-  
mam molestiam creant, et si hujusmodi effectus  
tantum ex solitis aberrant ut ad morbum quo de-  
tinetur aeger relegari possunt, summum periculum  
saepe imminere manifestum erit. Erythematis spe-  
cies quae hydrargyro utentibus nonnunquam su-  
pervenit, mala quae ex hoc fonte proveniunt satis  
docet ; causa enim morbi parum perspecta, medici

saepe frustra, et sane cum vitae discrimine ad eum summovendum laboraverunt. Descriptionem, igitur, morbi, cujus natura parum hactenus nota est, scriptoribus paucis qui de hac re tractavere adjutus, et propria experientia edoctus, magis accuratam tradere conatus sum. Quo magis perspicua sit, eam in tria stadia dirimere necessarium duxi. In primo stadio eruptio et desquamatio observandae sunt, haeque solum in conspectum veniunt, cum morbus sub forma mitiori incedit. In secundo stadio vesiculae formantur quae humorem effundunt ; et tertium adesse dicimus cum crustae apparent.



---

---

**DESCRIPTIO MORBI.**

**STADIUM PRIMUM** languore, lassitudine, et rigoribus ingruit, quibus corporis calor adauctus, pulsus citatiores, nausea, dolor capitis, et sitis brevi superveniunt. Æger tussi sicca laborat, et respirationem difficilem, anxietatem, et stricture sensum circa præcordia conqueritur. Lingua interdum humida est, et materia albida et glutinosa obducitur, alias pars media subrubra et nitida apparet, dum margines sordidae sunt. Cutis præter solitum calida et pruriginosa evadit, cum sensu punctationis qualis ex uredine urticarum oriri solet. In morbi initio alvus fere comprimitur, ex causa autem admodum levi saepe fluit. Primo vel secundo morbi die eruptio ut plurimum sese ostendit, color vel puniceus vel vivide rubicundus est, papulae primum distinctae supra cutem eminent, et eas quibus rubeola in-

signitur maxime referunt, nonnunquam, sed rarius, iis similes sunt quae in urticaria observantur : Hae papulae brevi coeunt, et cutem rubore suffusam ostendunt, qui pressura evanescit. In plerisque exemplis eruptio in scroto, in interna superficie femorum, brachio, vel in iis partibus ubi frictio hydrargyri adhibita fuerit, primum apparet ; integumenta partis affectae intumescunt. Sunt quoque morbi exempla in quibus eruptio coloris purpurei adfuit, nullis papulis comitantibus ; et in nonnullis casibus hoc totum corpus subito pervasit\*. Hoc autem raro evenit, in omnibus quot vidi exemplis, eruptio quibusdam locis contenta est. Papulae tactu asperae sunt, et in iis casibus ubi referunt eas quae in urticaria adsunt, humore albido repletae apparent. Tempus per quod durat eruptio admodum varium est, nonnunquam per tres vel quatuordecem dies perstat ; si autem morbus mitior fuerit quatuor vel quinque diebus, plerumque decedit, et morbus interdum eodem temporis spatio tollitur.

---

\* Dr MORIARTY on Lepra Mercurialis.

Res aliter se habet in hoc ac in plerisque morbis qui eruptione super cutem comitantur; in hoc enim malo, eruptione facta, febris exasperatur, et per plures dies augeri perstat. Ictus articularum plerumque ex 120 ad 130 in sexagesima horae parte numerantur, sitis urget, et aeger irrequietus somnum placidum raro carpit.

Cum eruptio per tempus incertum perstiterit, cutis squamulas tenues et subalbidas deponit, iis quae in rubeola observantur haud absimiles. ALLEY, et MORIARTY ad hoc non adverterunt, vel id cum *decrustatione* confuderunt, de qua postea dicemus. Desquamatio incipit in iis partibus quae eruptionem primum passae sunt, et hac serie totum corpus adoritur; circa hoc tempus fauces dolent, necnon saepe lingua, quae etiam tumet. Cum morbus mitior est hac desquamatione finitur, si autem gravior fuerit, cutis aliam mutationem subit, quae, ut mihi videtur, stadium hujus morbi secundum dici potest.

---

### STADIUM SECUNDUM.

Cum ad hoc stadium perventum est, cutis innumeris vesiculis minutissimis distincta apparet, quae humore pellucido replentur. Si hae vesiculae erupturae sunt, aeger, circa finem primi stadii de pruritu admodum molesto, et de sensu caloris ardentis in iis partibus ex quibus squamulae deciderint, conqueritur. Vesiculae plerumque per unum alterumve diem manent, nonnunquam paucis horis rumpuntur, et materiam ita foetidam effundunt, ut saepe adstantes nausea afficiat; odor tam peculiaris est, ut facile iterum agnoscat-ur iis qui semel ei objecti fuere. Hic humor ex scroto, inguine, vel internis femoribus copiosius effluit; ubicunque quoque cutis plicas format, vel glandulae sebaceae abundant, ibi majori copia excernitur.

---

---

### STADIUM TERTIUM.

HUMOR hoc modo effusus cum cuticula crustas format, quae brevi dehiscunt, et lamellae amplae decidunt, quae figuram partis unde exciderint saepe retinent. Cum morbus huc usque processerit, hoc *decrustationis* stadium dicere vellem, quo aptius ex desquamatione internosci queat, qua DOM. ALLEY et Dr MORIARTY sine discrimine usi sunt, quo fit ut morbi progressus non rite intelligatur. Hoc quoque morbi tempore fauces magis laborant, oculi lumen refugiunt, et tarsi, teneri, inflammati, et nonnunquam inversi fiunt; facies ita intumescit ut oculos omnino occludat, et cum in crustas abierit, rimas agit, quae speciem horrendum visu exhibent. Dorsum et radices capillorum postremo afficiuntur, et sane in exemplis morbi haud levibus nonnunquam omnino integra evadunt. Cum haec signa gra-

viora urgent, aeger ex motu omnino abstinere cogitur, propter dolorem quem ex nisu levissimo sentit, et sensum, quasi carnis esset rupturae, conqueritur. Crustae quoque partibus teneris admotae aegrum maxime irritant. Hae crustae tanta copia saepe decidunt, ut lectum quasi conis lupulorum stratum appareat. Haud raro varia morbi stadia eodem tempore in diversis corporis partibus adsunt, ita ut dum partes quaedam affici incipiunt, aliae gradum provectionem attigerunt. Morbus per totum ejus decursum Typho stipatur; sed notatu dignum est cibi appetentiam in multis hujus mali exemplis parum imminui, et nonnunquam admodum esse voracem, quod praesertim conspicuum erat in exemplo aegri, qui in nosocomio Edinburgensi per tres menses hoc morbo gravissime laborabat; hic enim aeger duplam cibi quantitatem ei quae vulgo aegrotis conceditur postulabat\*.

Cum signa catarrhi per mali progressum per-

---

\* Edinburgh Med. and Surgical Journal, No I.

stiterit, in hoc propecto stadio multum urgentiora fiunt; anxietas quoque et dolor pectoris multum aggravantur, et expectoratio cruenta nonnunquam adest. Animus moerore depressus per totum morbi decursum languet; pulsus admodum frequentes debiles et irregulares evadunt; lingua arida est et nigra, et diarrhoea, delirium, convulsiones, et corporis superficiei gangraena, mortis instantis praenuntia, tandem superveniunt. Cum morbus mitius incedit, paucis diebus levi desquamatione ad exitum felicem perducitur; vesiculae raro apparent, et febris, respiratio difficilis, et dolor pectoris minus urgent. In gravioribus autem exemplis ultra duos menses protrahitur, et omne eruptionis stadium pro rata diutius perstat; et cum hæc ad finem perductus est, saepius iterum in nova superficiei propullulat.

---

  
NOMEN MORBI.

DE nomine quod huic morbo imponi debet, dissentiunt medici; alii Erythema Mercuriale, alii Leporam Mercurialem, et alii Morbum Mercurialem eum nuncuparunt. Doctor CULLEN Erythema hisce verbis definit. “ Phlogosis Erythema, colore rubicundo, pressione evanescente, ambitu inaequali serpente, tumore vix evidente, in cuticulae squamulas, in phlyctaenas vel vesiculas abeunte, dolore urente.” Lepra sic a CULLENO definitur. “ Cutis escharis albis, furfuraceis, rimosis aspera, aliquando subtus humida, pruriginosa.”

Si ad prima indicia, et progressum morbi de quo agitur, animum paulo advertimus, eum cum signis quibus Erythema stipatur maxime quadrare comparebit. Quantum hic morbus ex Lepra discrepat ex sequentibus satis manifestum



erit. In hoc morbo signa febrilia fere ab initio urgent, ita ut in nonnullis exemplis, an signa topica, vel quae totum corpus affectum demonstrant, primum adsint, haud facile statuere possumus: In Lepra autem nulla pyrexiae indicia sese ostendunt, donec morbus inveteraverit. In Lepra nulla adsunt signa quae hunc morbum comitantur, praeter prurimum et desquamationem. His igitur perpensis, nomen Erythematis huic morbo rectius imponi concludere liceat. Etsi enim in nullo fere erythematis exemplo desquamatio cutem tam late occupet, neque cuticula in tantis portionibus decidat, non parum obstat quo minus ad idem genus referantur, rari enim sunt morbi quin ipsi variant, prout causa excitans diversa fuerit; morbum igitur pro specie erythematis peculiari habere vellem. Quod ad nomen Morbi Mercurialis attinet quod nonnullis placuit, attentionem vix meretur, nil enim proprium habet quo morbus insignitur, et aequae omnibus malis quae ex hoc medicamento profluunt adhiberi potest.

---

---

## HISTORIA MORBI.

PAUCI sunt medici, usu artis late versati, qui hunc morbum nunquam conspexerunt; nihilominus naturae ejus propriae notitia ex illis penitus latebat, et adhuc admodum recens est; parum enim ad eum adverterunt donec anno novissimo opuscula quaedam Dom. ALLEY\* et Doctoribus MORIARTY† et SPENS‡ conscripta edita fuere. Doctor GREGORY, hujus Academiae Professor, per plures annos praeteritos eruptionem peculiarem hydrargyri usui nonnunquam supervenire in prelectionibus monere solet. Dom. BELL, in

---

\* An Essay on a peculiar eruptive disease, arising from the exhibition of Mercury, &c. by GEORGE ALLEY. Dublin, 1804.

† A description of the Mercurial Lepra, by Doctor MORIARTY. Dublin, 1804.

‡ History of three cases of Erythema Mercuriale, with observations, by THOMAS SPENS, M. D. &c.—*Edinburgh Medical and Surgical Journal*, No. I.

opere de Lue Venerea, morbum describit, qui originem ex usu Hydrargyri duxit, et qui primum hujus morbi gradum sub forma mitissima maxime referre videtur; eum autem obiter omnino attigit. Doctor WILLAN, sub nomine Pemphigi morbi, exemplum tradidit, qui in plurimis signis cum morbo de quo hic disceptatur congruit, et quem ad Erythema Mercuriale facile relegarem. Exemplum verbis ipsissimis citare opere pretium est\*.

---

\* “Pemphigus, or the <sup>s</sup>vesicular fever, is a rare disease in this country. The solitary instance of it, noted in July, was a young woman, about twenty years of age, teacher in a school at Walworth, and of a weakly constitution; she had taken some *mercurial* remedies, for a glandular swelling, three weeks before her eruptive complaint appeared. It began with a violent heat and itching at one of her elbows; the other was soon after affected, when both arms swelled up to the shoulder; and within two days, they were covered with vesications. The vesicles soon broke, and discharged an acrimonious lymph, which blistered where it fell. Similar vesicles arose in a day or two on the face, the scalp, the trunk of the body, the limbs, the palms of the hands, and the soles of the feet. They were small and close together, so that, after they were broken, nearly the whole cuticle was detached. The fever, and the eruptive stage of the disorder, lasted, on the whole, about eight days; during that

Hi soli sunt scriptores, quantum mihi comper-  
tum est, qui aliquid literis tradiderunt de morbo,  
qui plerumque signis admodum molestis et faedis  
stipatur.

---

time, the patient was weak, irritable, and tremulous ; her pulse being generally 132 ; she had no appetite, got but little rest, and was sometimes delirious. Her face was scabbed all over, as in the confluent small-pox. Before a new cuticle was formed on the trunk of the body, there was a thin incrustation, which gradually peeled off in dry yellowish scales, but a fresh discharge, and a new incrustation repeatedly took place. The skin of the legs was red and tender, and appeared as if studded with miliary pustules ; which breaking, discharged their lymph, and were succeeded by others. At the end of the third week, the skin of her fingers and toes came off entire, together with the nails. Three weeks more elapsed before the cuticle was restored, so that she could stir out of her bed. I saw her on the 1st of October, free from complaint ; her nails were then renewed, her hair, which had at first partly fallen off, was become thicker. The skin of her neck, arms, and legs, appeared rough, papulated, and scaly, as in a slight kind of the dry tetter ; her eyes remained weak and tender, as they had indeed been from the commencement of the disorder.”—  
*Willan's Reports of the Diseases in London.*

---

### CAUSAE REMOTAE.

IN causis hujus morbi perscrutandis, medicis, qui aliquid de eo hactenus literis tradiderunt, parum adjuvamus, nil enim praeter conjecturas protulerunt. Cum primum naturam ejus explorare aggressi sunt, eruptionem pro signo Luis inveteratae insolito habuerunt, brevi autem innotuit nonnullos syphili minime laborantes hoc morbo corripere, et ex hoc tempore variae opiniones de natura ejus amplexae fuere. Hac sola in re omnes consentiunt, morbum nunquam observari nisi in iis hydrargyro utentibus.

De iis quae proclivitatem dant nil compertum habeo, nec ullo anni tempore prae caeteris grassari videtur. Etsi utrumque sexum adoritur, mares autem ei magis obnoxii sunt; patet enim ex calculo, in nosocomio Dublinense, Lock dicto,

instituto, duplicem fere numerum marium eo plecti\*. Etsi adultos multo saepius invadit, infantes minime ab eo incolumes evadunt. Robustos non minus quam debiles adoriri videtur. Certum autem corporis habitum, ad hunc morbum inducendum, necessarium esse omnes consentiunt; de natura ejus, vel de notis quibus insignitur, minime adhuc innotuit. In hominibus hujusmodi corporis habitu praeditis, nonnulli causam morbi excitantem ex irritatione quam hydrargus corpori dat repetunt; effectus qui ex certo diaetae genere, ut ex nucleis fructuum amariorum, ex certis piscibus &c. in quibusdam hominibus excitantur, huic opinioni fidem conciliant. Doctor GREGORY frigus corpori hydrargyro saturato admotum necessarium esse habet, et signa catarrhi, quae morbum comitantur, hoc verisimile reddunt.

---

\* ALLEY.

---

## DIAGNOSIS.

Hic morbus morbillos maxime refert; ab iis autem signis sequentibus facile dijudicare potest. Imo, Color eruptionis multum differt; in morbillis enim color ex vivide rubicundo gradatim in fusciolem vergit, prout eruptio perficiatur; contra, in erythemate mercuriali, color ab initio multo fuscior est, et per mali decursum immutatus perstat. 2do, Eruptio, quae morbillos comitatur, plerumque primum in facie sese ostendit; in hoc morbo femora, inguen, scrotum, partes extremae, et ubicunque hydrargyrus affricatus fuerit, primum efflorescunt. 3tio, Desquamatio quae in morbillis evenit, finem morbo imponit, et squamulae siccae et furfuraceae sunt. In propecto autem gradu Erythematis Mercurialis, cuticula tantis portionibus decidit, ut figu-

ram partium retineant; saepe quoque adsunt vesiculae quae humorem foetidissimum effundunt, absunt quoque sternutatio, epiphora et coryza, et typus febris diversus est.

Eruptionis color quam in Erysipelate fuscior est vesiculae solummodo post desquamationem apparent, et amplior pars corporis laborat.

Nonnulli primum hujus morbi stadium cum Scarlatina confuderunt, sed si ad morbi utriusque symptomata paululum advertimus, facile dignoscuntur; nam Scarlatina eruptionem multo rubicundiores exhibet, et affectione faucium ab initio plerumque stipatur, quae in Erythemate Mercuriali, donec ad desquamationem profectum sit, nunquam observatur. Cum morbus ad stadium profecti<sup>US</sup> processerit, tantum ab Scarlatina discrepat, ut vix diagnosi opus est.

Superest et alia cutis affectio, eruptio Venerea nimirum, quae nonnunquam cum hoc malo con-



fundi periclitatur ; si autem ad sequentia advertimus facile separari potest.

In Eruptione Venerea maculae circulares et distinctae sunt ; contra, in Erythemate Mercuriali eruptio nullam certam formam induit, et maculae brevi ita coeunt ut nullum spatium interpositum relinquunt ; eruptio quoque venerea in hoc maxime discrepat, quod in ea febris omnino abest.

Hi fere sunt morbi qui ullam similitudinem cum eo, de quo agimus, prae se ferunt, et in plerisque exemplis supra tradita diagnosin certissimam praebere possunt. In omni exemplo ubi Medicus ad aliquem morbo huic simili decumbentem arcessitus fuerit, an aeger hydrargyrosus est, primum percontari debet ; si enim hoc medicamentum non adhibuit, hanc erythematis speciem minime adesse affirmare liceat.

---

### PROGNOSIS.

IN hoc, ut in aliis morbis, ex signis quae urgent discernenda est. Ex specie quam eruptio exhibet exitum saepe praedicere liceat; quo enim magis ad colorem purpureum appropinquat, eo plerumque gravior erit morbus, et duratio longior; febris quoque maxime typhodes, tussis permolesta, expectoratione cruenta comitata; anxietas, respiratio difficilis, et dolor pectoris, male augurant. Quod si diarrhoea, exudatio copiosa, macies summa, virium prostratio, delirium et gangraena supervenerint, de aegro actum est: quantitas quoque hydrargyri quae assumpta fuerit considerari debet, et presertim si aeger in usu ejus post eruptionem subortam perstiterit. Quo majorem molestiam pruritus creat, eo exudatio uberius est, et partes, quae maxime pruriunt, humorem primum effundunt. In prognosi quoque

formanda ad anni tempus, et aegri habitum respiciendum est; et signa ejus ex naturae epidemii regnantis afficiuntur, ut in aliis morbis febrilibus evenit. Cum exigua hydrargyri copia ante mali accessum usurpata est, et eruptio levi cuticulae desquamatione finitur, febricula solum urgenté, morbus plerumque paucis diebus decedit, si medicina rite adhibita fuerit. Cum natura mali et medendi ratio nunc melius intelliguntur, nisi in raris et gravissimis exemplis, in salutem fere cedit.

---

### MEDENDI RATIO.

QUONIAM hic morbus ex hydrargyro solo, sub una alterave forma adhibito, originem ducit, ut aeger ab eo abstineat, statim praecipendum est, et quod eodem spectat, aeger ab iis locis removendus est in quibus aër hoc medicamento imbuitur; quod decumbentibus in iis valetudinariis, quae lue venerea laborantibus accipiendis dicantur, nonnunquam evenit, quod certe noceret, etsi non

ita vitiatur ut *Atmosphera Mercurialem* constituat. Quo pruritus et molestiae, quibus cutis afficitur, subveniamus, ad balneum tepidum confugiendum est, quod quoque ad munditiam servandam apprime conducit. Lavatio tepida ex gradu 78° ad 84° FARENHEIT. optime respondit; ad temperiem debitam attendere debemus, sin aliter periculum est ne morbum exasperet.

Cum autem his parum proficitur, ad ea remedia quae signa febrilia mitigent decurrendum est; hoc emeticis, ut Tartrite Antimonii vel radice Ipecacuanhae, et diaphoreticis, presertim ex salibus neutris desumptis, ut Citrate Potassae Acetite Ammoniae, &c. perficere aggredimur. In hoc autem morbi stadio, medicamenta ex Antimoniis cautissime usurpanda sunt; haec enim, etsi in aliis fere morbis, ubi diaphoresi opus est, cum summo beneficio adhibentur, in hoc autem parum conveniunt propter alvi statum, quae facillime fluit, et hoc opio commode non corrigi potest, cujus effectus in initio hujus mali admodum dubii sunt. Ad calorem quoque mitigandum, acida fortiora

et fructus maturi concedi possunt; cavendum autem est ne alvum cieant. Temperies aëris, quam in solitis pyrexiae exemplis, paululum altior esse debet, aeger enim ex frigore facile afficitur; ex aëre autem subinde renovato bonos effectus experiri solet. Si Cathartica necessaria fuerint, mitissima, ut Sulphas Magnesiae, et Oleum Ricini, solummodo utenda sunt, quoniam alvus tam mobilis sit.

Dum haec utuntur, quae topice conveniunt minime negligenda sunt, et lavatio tepida sedulo adhibenda est, munditiae summa servata. Varia medicamenta externe admota fuere, ut solutiones Acetitis Plumbi, et Sulphatis Zinci, Unguentum e Sulphure, et decoctum Corticis Querci, sed incassum. Aspersione cum Amylo ex usu ejus communi in erysipelate a nonnullis adhibita est; hoc certe nulla vi nociva praeditum est, et cutem ex rebus quae irritant defendendo forsitan prodesse potest. Ad irritationem faucium levandam, quae tussi multum exasperatur, mixturae mucilaginosae conveniunt, his guttae quae-

dam tincturae Opii commode adjici potest. Nonnulli, quibus Dom. ALLEY accedit, epispastica dorso vel pectori imposita laudant; ab his autem potius abstinerem, periculum enim est ne partes quibus admoveantur in gangraenam ruant.

Quoniam transitum ex primo ad secundum stadium hujus mali non semper facile discernere possumus, quippe partes corporis diversae diversos morbi gradus eodem tempore saepe exhibent; quando medendi ratio, quae priori convenit, alteri cedere debet, difficile est statuere. Si autem febris ad typhum magis vergit, prout crustae latius sese diffundunt, alia tunc adhibere remedia necesse erit. Ad vires reficiendas quae maxime infirmantur, ad Cinchonam plerique confugere solent; ventriculus autem eam fere respuit, vel diarrhoeam movet. In nonnullis casibus infusum ejus frigidum aromaticis conjunctum melius retinetur, in hoc quoque statu cum opio sine ullo incommodo conjungi potest. Vinum omnibus aegrotantibus admodum gratum est, et in hoc morbi stadio remedium optimum est. Cerevisia

fortis, quae *Porter* dicitur, cum fructu usurpari potest, aliquid nutrimenti quoque praebet. Alcohol quoque probe dilutum eodem consilio assumi potest. Haec pro arbitrio aegrotantis variari possunt, quod saepe necessarium, quippe hi unum potus genus raro diu sine fastidio assumere possunt, et alterum efflagitant. Ad sitim compescendam quae saepe multum urget, serum lactis, juscula tenuiora, et diluentia nutrientia concedi possunt. In hoc ultimo morbi stadio, cutis vera ita tenera evadit ut corpus usum balnei tepidi non ferre potest, syncopen enim inducere periclitatur, in hoc igitur statu ad ablutionem corporis tepidam confugiendum est. Contra Ophthalmiam unguentum oxidi zinci plerumque satis valebit, et aeger in loco tenebroso detinendus est. Per molestum istud signum, sensus carnis quasi disruptae, de quo aegri multum conqueri solent, Oleo Lini cum calce optime summovetur, quod, ut primum crustae appareant, libere admoveri debet, et omnibus aliis forsitan anteponendum est.

